

cl. 1.

55. N.

Ung. Bibl.  
V. 75


*G. M. H.* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-75.

SIGNAT. CCCXIII.

*Dissertationes Hungarorum*



15

I. N. f.

TRACTATIO PHILOSOPHICA,  
*Quæstionis :*

# An Existentia An- gelorum , præcisa infallibili

Sacræ Scripturæ autoritate, è Solo lumine  
Naturæ, evidenter demonstrari  
possit ?

In Alma LEUCOREA,

PRÆSIDE

PRÆ-EXIMIO juxta ac CLARISS. VIRO

Dn. M. JOHANNE BAYERO,

Eperiensi Hungaro , Facultatis Philosophicæ  
Adjuncto dignissimo ,

Dn. Fautore ac Promotore suo plurimum observando ,  
ab

AUCTORE & RESPONDENTE

TIMOTHEO GRELNERTIO,

Montano - Vallensi Hungaro ,

publicæ ventilationi exposita

Die 13. Novembris , Anno M DC LVIII.

In Auditorio Majori , Horis antemeridianis.

h. m. 2036

---

Typis MICHAELIS Wendi.





I. N. J.

Q V A E S T I O .

An Existentia Angelorum præcisa infallibili  
Scripturæ S. Autoritate solo lumine naturæ  
evidenter demonstrari possit?

Membrum I.

§. 1.

**N**on contemnenda prorsus est  
vocum evolutio. Conveniunt enim re-  
bus nomina sæpè suis. Hinc plerumq;  
fieri solet, latam nobis aperiant ut por-  
tam ad rerum naturas exactius contem-  
plandas. Advertit hoc & ipse Philoso-  
phorum Princeps qui in accuratâ rerum  
theoriâ voces etiam persecutus est con-  
ceptuum indices. Platonis nempe legit vestigia qui ἔρωτα in-  
quit, ὁρατὸν διδασκαλικὸν τῆς γοίας. Res ipsas loqui, DEI  
gloriosi prærogativa est. Adeò ut dictio DEI sit ipsa productio.  
Nobis non licet esse tam disertis. Hinc vocibus utimur rerum  
simulacris. Harum ambiguitas eludere nonnunquam solet  
incautos. Rescanda ergo priùs est quād ad pleniorē The-  
matis considerationem descendas.

§. 2. Angeli vox sumitur I. Biblicè, ubi officium  
sæpiùs denotat, quād naturam. Estq; vel *Infinitus*, de quo  
in Exod. 16, 7. & alibi passim: vel *finitus*. Hic vel *Invisibilis*,  
utpote universa illa cœlorum agmina: vel *visibilis*. Ubi in  
genere quidem notat omnes Ecclesiæ Doctores divinitùs  
missos, ad voluntatem DEI in Verbo patescant hominibus  
annunciandam. In specie verò tribuitur Ministris septem  
Ecclesiarum in Asiâ, Apoc. 1, 20. Itemq; Johanni Baptistæ,  
Matth. 11, 10. II. Sumitur vox Angeli *Pneumaticè*, in qua-  
ntum significat peculiarem quandam naturam seu substantiam  
creatam spiritualem. Et hæc significatio est hujus loci propria.

A 2

§. 3. De

§. 3. De hujus existentia variae prostant Sententiae.  
Fuerunt nonnulli, qui existentiam Angelorum planè negarunt.  
Quem errorem Philosophorum quorundam antiquorum fuisse  
ex Aristotele refert Greg. de Val. Tom. I. com. Theol. disp. 4.  
qu. i. punto i. colum. 1066. Quibus accensentur Sadducæi,  
qui dicebant, ut scribit Sanctus Lucas Act. 23, 8. neq; Resur-  
rectionem mortuorum, neq; Angelum, neq; Spiritum esse.  
Insipienter enim (inquit Val. loc. cit.) sibi persuadebant, nihil  
esse omnino, præter illa, quæ sensibus sunt obvia, iisdemq; à  
nobis percipiuntur. Errorum hunc superiori seculo ex orco  
revocarunt Anabaptistæ & Libertini. Docuerunt enim non  
esse peculiares Creaturas, quæ vocentur Angeli, sed si quando  
Deus exerat suam potentiam, ad nocendum vel puniendum,  
hoc vocari malum Angelum, & contra Bonum Angelum ap-  
pellari, si quando Deus nos custodiat & conservet. Sit jam

§. 4. Manichæus & Priscillianus utut Angelorum  
existentiam non omnino impugnent aliâ tamen parte absurdî  
admodum sunt. Angelos enim non creatos, sed ex ipsâ Dei  
substantiâ genitos esse vanè comminiscuntur. Quæ quam ab-  
surda, quamq; à veritate aliena sit assertio, in vulgus notum est.  
Hinc Augustinus lib. 15. contra Faustum cap. 5. pag. 509. Fingis,  
ait, Deorum agmina & innumerabiles regnicolas & Angelo-  
rum cohortes, quæ omnia non condidisse Deum dicis, sed è  
suâ substantiâ genuisse.

§. 5. Plato Philosophus cætera insignis, ut divinus  
etiam dici meruerit, in alium impingit scopulum. Docuit  
enim ille, Angelos sua habere corpuscula: alios Cœlestia, alios  
ætherea, alios aërea, alios aquæa, alios etiam terrea. Vid. B.  
Meisnerus part. I. Sobr. Phil. Sect. 4. cap. & qv. I. p. 582. Hæc  
sententia complures alios habet Patronos. De Porphyrio refert  
Gisbertus Voëtius Select. disp. part. I. pag. 911. eundem, non  
tantum cum aliis Gentilibus delirasse, Dæmones nidoribus  
& sanguine hostiarum delectari, sed & corpuscula, eorum aë-  
rea iis pingescere. Hinc animalia quoq; ab eo dicti sunt An-  
geli, recensente B. Meisnero loc. cit. Pollicem his premunt  
ipsi quoq; Judæi, qui apparitionibus Angelorum dubio procul  
de-

decepti, illos similiter corporeos esse, rebus corporeis affici, cibis vesci, generare, mori instar hominum existimant. Sed & Patres nonnunquam corporum Angelorum mentionem faciunt, utpote Tertull. Bernhard. Ludovicus Vives, Cælius Rhodiginus, Justinus, Lactantius, &c. qui tamen quomodo excusari alias soleant paulò post forsan patebit. Agmen horum omnium claudit Conradus Vorstius, qui falsus Veterum de essentiâ Angelorum sententias post liminio revocavit.

§. 6. Alii id quod res est, loquuntur, dum Angelos non tantum creatos, sed spirituales etiam esse concedunt. In eotamen litem nobis movent, quod existentiam eorum è naturâ esse demonstrabilem probare operosè contendunt. In quo argumenti genere pertractando, non tantum Philosophus ipse, sed Thomas etiam Aquinas prolixus est. Nos, quid de ultimâ hac & aliorum statuamus sententiâ, salvâ Excell. Virorum Autoritate, modestè indicabimus, si primùm status Controversiæ fuerit fixus recteque formatus. Sit ergo:

## Membrum II.

1. Distingvendum hinc ante omnia est inter corpus consideratum 1. *Synecdochicè*, in quantum ita extenditur, ut cum substantiâ vel Ente etiam retrocurrat, opponiturq; umbræ & phantasmati. Et in haç significatione corpus omne Ens realiter existens sub suo ambitu complectitur. 2. *Mathematicè* in quantum significat trinam illam Quantitatis dimensionem, longitatem nempe, latitudinem, & profunditatem. Quæ significatio Geometris quam notissima, quibus Grammimetria, Embadometria, & Stereometria exinde nascuntur. 3. *Physicè* quat. significat Substantiam, quæ Materiam & Formam habet, sive illam Entitatem Substantialem, quæ sua naturâ est subjectum trinæ illius dimensionis. De posterioribus duabus acceptionibus sermo nobis est. De primâ enim nemini litem intendemus.

2. Distingvendum est inter *delectationem sensibilem* & *intelligibilem*: itemq; inter *Complacentiam* consideratam ex affectu & libitu. *Delectatio Sensibilis*, profecta ex odoribus, olfactûs indicium est. Ubi olfactus, ibi corpus. Corporeo enim indiget organo omnis animæ sensitivæ facultas. Hinc fit quod

ab excellentia objecti laetatur non parum. *Complacentia* itidem ex affectu orta, sensum nota est. Fieri enim solet, ut unares sensum afficiat magis, quam alia. Calamos qui inflant leves delectant magis, quam qui miserum stipula disperdere carmen solent. Hæc de Angelis probanda Porphyrio sunt. Tunc enim rationibus visti, succumbam oportet. Sed id tunc fiet, quando testudo leporem cursu prævertet. *Intelligibilis* in Controversiam non venit delectatio, neq; *Complacentia* ex libitu profecta. Cùm enim res corporeæ signa sint nōnunquam rerum spirituallum, Angelos quin delectent non video.

3. Distingvendum inter *Angelos* consideratos *natūrā* seu secundūm *essentiam*, & consideratos *natūrā* *corporeas* seu *dispensationem*. Simplex illorum essentia & omnis corporeæ molis expers est. In assumto illos nōnunquam apparuisse corpore nō diffiteor. Sed id nihil nostræ derogat causæ. Transitorius ille actus est. Natura ergo atq; essentia Angeli exinde certò sciri nequit. Neq; inhærens intrinsecè fuit materia illa, sed extrinsecè per modum vestis assumta, quam Angeli iterum expleto legationis suæ munere deposuerunt. Hinc non informantes sed assistentes tantum formæ erant, assunti illius corporis, ac unio inter Angelum & assumtum corpus, non *naturalis* & *essentialis* est, qualis animæ & corporis in homine: nec *Hypostatica personalis* & *indissolubilis*, qualis Divinæ & Humanæ Naturæ in Christo: sed *accidentalis*, vel ut B. Lutherus loquitur, *Formalis* ad certum tempus propter homines facta. Vid. B. Gerhard. in Isag. loc. Theol. coll. I. disp. II. c. 3. n. 4. p. 500. Cùm itaq; Angelophanias istæ supernaturali eorundē dispensatione sint vindicandæ, non potest ex illis accuratum ferri judicium de naturali Angelorum statu.

4. Distingv. inter comedionem factam ex necessitate & ex libertate. Miserum adversariorum effugium est, ad comedionem dum provocant. Non enim naturalis fuit manducatio illa quam secuta suis et digestio, quia nulla ibi nutritionis & digestionis fuerunt organa. Neq; digestus cibus ille fuit naturaliter, sed ab Angelicæ naturæ flammæ quasi absuntus. Non ergo ex necessitate sed ex libertate facta est comedio.

5. Di-

5. Distingv. inter Angelum consideratum  $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$  seu *absolutè*, &  $\sigma u\gamma\kappa\epsilon\rho\tau\pi\omega\varsigma$ , seu *comparatè* in respectu ad Deum. Tanta est essentiæ Divinæ simplicitas, ut Angelica ad eā collata dispalescat. Omnis illa compositionis expers; hæc multos ejusdem admittit gradus. Non enim excludit compositionem Logicam ex Genere & Differentia, quicquid etiam dicat Durandus in lib. II. sent. distinct. 3. qv. 1. Neq; Metaphysicam, quæ est ex esse & essentiâ, actu & potentiatâ, subiecto & adjuncto, naturâ & supposito, de quâ à quibusdam dubitatum etiam est, ut patet ex Adr. Heerb. disp. Phil. vol. I. p. 47. Sed solùm Physicam ex partibus nempe essentialibus, & quātitativis seu Integralib;. Ob multiplicem itaq; compositionem, Angelus ad Deum collatus corpus dici solet à Patribus suprà citatis. Ast cùm inter corporis propriè acceptum & Spiritum sit immediata & directa oppositio, abstinentiū potius ab hac  $\alpha\kappa\nu\epsilon\gamma\lambda\omega\varsigma$  est, ex sententiâ B. Gerhardi in Isag. loc. Theol. disp. 12. cap. 6. n. 4. pag. 510.

6. Bucanus hoc loco distingvit inter materiam *corporalem*, *crassam* & *affectabilem*; & inter materiam *spiritualem*. Non illam sed hanc tribuit Angelis. Ast oppositum ponit in apposito. Quæres enim quid illa spiritualis materia sit? Paucis ita habeto; Spiritualis Materia est

--- --- Spes ex spes, caligo serena,  
Lex illex, Methodus confusa, inconditus ordo,  
Bellica pax, risus lacrimabilis, impetus excors,  
Flos deflorescens, via devia, cognitus error,  
Sors exsors, deforme decus, subiecta potestas,  
Fessa quies, obscura dies, Victoria victa.

Vid. Palæst. Eloq. Lingvæ Lat. Maslen. lib. 2. pag. 251.

7. Distingv. inter *ratiōnes existentiam Angelorum probandi Topicas & Apodicticas*. Non adeò sterilis natura ipsa est, ut non aliquas rationes suppeditet, quibus usq; & usq; pondatatis opinari nobis liceret de existentiâ Angelorum. Argumēta enim ab  $\epsilon\nu\sigma\epsilon\gamma\kappa\mu\delta\omega\varsigma$  petita, itēq; à privatis Spirituū suggestiōnibus probabilem faciunt thesin hanc: dantur Angeli. Imò nō nullæ eriam Philosophorum disputationes de Intelligentiis, de Bonis aut Malis geniis idipsum ostendunt. Ast non tanti illæ sunt roboris, ut rigido adversario faciant satis.

8. Di-



8. Distinguend. inter rationes Philosophicas, seu è Libro Naturæ desumptas, & Theologicas seu è Libro Scripturæ haustas. Exactissimam Divinæ veritatis normam qui consuluerit, habebit sanè documenta, quæ dubiam aliâs Angelorum existentiam in aprico ponunt. Nescia enim illa erroris est. Quicquid tradit, quicquid proponit etiâ de rébus Naturalibus, summo cum pietatis affectu suscipiendum. Quis enim (inqūit B. Sperling.) Creatori de Creaturâ proprium testimoniū dicenti suum non addat calculum? Porrò: Si testimonium (inqūit) fuerit humānum probabilitatem habet: si Divinū, necessitatē, firmiusq; quâm omnes omniū scientiarū demonstrationes, probat. Hoc enim testimoniū ipsa Divina veritas & Sapientia est. Vid. Inst. Phys. Procem. q. 4. p. 14. Rationes ergo è Libro Scripturæ petitæ omni Controversia sunt superiores. De prioribus itaq; nobis sermo est:

9. Dist. Inter Angelorum possibilitem; & inter ipsam existentiæ eorum actualitatem. Illa quin è natura probari possit, nihil obstat. Sive enim extrinsecam, sive intrinsecam species possibilitem, suum obtinebit finem. *Intrinsica* possibilitas est à quâ res priùs dicitur esse possibilis, quâm effectivâ sui causam respiciat. Sive est nihil aliud quâm nuda in prædicatis essentialibus non repugnantia. Non enim ideo, inquiunt Scholastici, res est possibilis, quia effici potest, sed ideo effectibilis, quia possibilis. Et certè res non caret specie. Sicut enim in re impossibili non recurrimus ad potentiam DEI h.e. non dicimus rem impossibilem esse ideo, quod Deus eam præstare nequeat, sed ideo quia illa ex se fieri non potest; Ita de possibilib⁹ quoq; judicium. Hinc ita ratiocinari quis potest: In quocunq; nulla datur in prædicatis essentialib⁹ repugnantia, illud existit possibiliter. Atqui in quidditativo Angelorum conceptu nulla datur in prædicatis essentialibus repugnantia. Ergo. *Extrinsica* nihil aliud est, quâm virrus causæ productiva. Hinc argumētor iterum: Quicquid à parte rei nullam involvit contradictionē, illud per absolutam DEI potentiam nihilitati existentiæ subtrahi potest. Atqui conceptus Angelorum quidditativus &c. Ergo. Major patet, quia aliâs defectus esset non in re producibili sed produci-

producente, sive potentia agente, quae illud producere non posset. Infinita autem potentia defectus nullus, quippe quae omnes perfectiones possibles, vel formaliter, si sint simpliciter simplices; vel eminentur & virtualiter, si sint secundum quid simplices, in se continet. Minor itidem patet, cum in conceptu Angeli quidditativo praedicata aliqua incompossibilita non concurrant. Et quae ejus generis sunt alia. A possibiliitate vero ad existentiae actualitatem colligere, απολογία est, collyrio digna. Hinc venustè ac falsè exclamat Mendoza disput. 12. Metaph. cap. 7. O bone Deus, quam multa fecisses, si quae potuisti fecisses!

10. Distingendum inter Colloquium καὶ ἀνθρώπῳ, καὶ αἰνῆσιν institutum. In priori argumenta convincentia dari dubium nullum. Cum enim quis certa aliqua admittit principia, tunc ratio his principiis consentanea stringit hominem, quicquid tandem sit de re de qua instituitur collatio. De posteriori ergo queritur.

11. Possent aliae complures in hanc rem produci distinctiones, ut potè inter rationes revelationem praecedentes & sequentes: αὐτοκυριακές & ναζαρεϊανές: Divinam & humanam fidem, vel probabilem opinionem gignentes, has tamen persequi uberiùs, longum foret. Ex his omnibus talis jam Controversia status manet: An nempè Angeli quos è revelatione divinâ creatos esse supponimus, absolute & secundum essentiam considerati, propter comedionem in assuntis corporibus nonnunquam ex libertate factam, itemq; propter delectationem iutelligibilem & complacentiam ex libitu profectam sint materiati & corporei, corporis acceptione strictâ, propriâ atq; Phycâ, & an actualis illorum existentia Argumentis quibusdam è Libro Naturæ petitis & καὶ αἰνῆσιν vim convincendi obtinentibus, evidenter, clare, manifestè, atq; irrefragabiliter, sive prioristicè, sive posterioristicè rigido aliqui adversario demonstrari possit? Ut ergo innotescat veritas, distinctas de his omnibus proposituris sumus decisiones.

idem

B

Memo

## Membrum III.

### DECISIO

I. Dari Angelos, contra omnes existentiam eorum impugnantes è principio Scripturae convincenter (uti loqui amant) demonstrari potest. Hæc decisio tam clara est, ut qui operosè eam probare contendat, lucem Soli affundere videatur. Nos breviter argumentamur: Quicquid non tantum de causâ Efficiente Angelorum verum etiam de eorum naturâ atq; officio, operationibus ac proprietatibus certos nos reddit, ex eo existentia Angelorum evidenter demonstrari potest. Atqui prius de Scripturâ Sacrâ verum est. Ergo. Videatur de his omnibus Isag. loc. Theol. B. Gerhard. disp. 12. cap. 2. pag. 497. cap. 3. p. 498. cap. 4. p. 504. c. 7. p. 527. Greg. de Val. Tom. 1. Com. Theol. disp. 4. qv. 1. punto 1. col. 1061.

II. *Ii autem creatis sunt, non verò de Substantiâ Dei geniti.*  
Prob. Decisio hoc modo: Quicquid effectivè est à Deo id de Substantiâ Dei genitum non est. Atqui Angeli effectivè à Deo producti sunt. Ergò. Major patet, quia quod Deum pro principio sui causali atq; effectivo agnoscit, id finitum est, creatum, dependens, & per participationem tale, atq; adeò totâ essentiâ ab eo distinctum. Gigni autem de Substantiâ Dei, non est terminus principii causalî atq; effectivi, sed originis tantum ordinis ac simplicis emationis arguitivus. Adeò ut generatio hæc nihil aliud sit quam æternæ, immensæ, ac simpliciter interminabilis ejusdem numero essentiæ communicatio. Quæ quomodo cum effectivâ Angelorum productione conciliari possit, non video. Sic enim arguo: Quicquid est de substantiâ Dei genitum, illud est æternum atq; independens. Quoddam creatum atq; dependens (ut ex probatione Minoris apparebit) per Te est de substantiâ Dei genitum. Ergò quoddam creatum atq; dependens est æternum & independens. Conclusio est absurdâ. Minor manifesta est è locis Scripturaræ, utpote Psal. 109, 4. Quod ex verbo יְהוָה de creationis opere à Mose usurpato Gen. 1, 31. èò melius patescit Heb. 1, 7.  
ubi

ubi extat verbum *mīm̄*, quod itidem effectivam produc-  
tionem significat, &c.

III. *Neḡ corporei sunt & materiales, sed incorporei ac spiri-  
tuales.* Quâ de re videatur Dn. D. Gerhard. Isag. loc. Theol.  
disp. 12. cap. 5. num. 3. pag. 510. ubi hæc sententia tribus pro-  
batur rationibus. Dn. D. Meisnerus Sobr. Phil. part. 1. sect. 4.  
cap. 8. qv. 1. à pag. 581. usq; ad 589. inclusivè, qui quinq; ar-  
gumentis eandem confirmat. Excell. Dn. D. Calovius Meta-  
phys. Div. part. Special. porism. 4. pag. 177. Greg. de Val.  
Tom. 1. Com. Theol. disput. 4. qv. 2. punto 1. col. 1088. qui  
*quadruplicia adducit ibidem argumeuta :* 1. è Scripturâ. 2.  
Conciliis. 3. Autoritate Patrum. 4. Ratione desumpta. Adr.  
Heerb. Melet. Phil. vol. 1. disput. 12. thes. 6. & 7. pag. 47. Ubi  
liberos illos assérit ab omni compositione; essentiali, quam  
inferunt materia & forma; Integrali, quæ sit per quantitati-  
vas partes, materiam integrantes. Svarez. disp. Metaph. T. 2.  
disp. 35. num. 6. pag. 283. & seq. ubi omissis Scrituræ locis, in  
quibus Angeli Spiritus vocantur, rationibus agit. Supponit  
autem 1. duobus modis posse Substantiam esse corpoream:  
uno modo omnino & quoad utramq; partem, Materiam sc.  
& Formam. Alio modo solum ex parte Materiæ. Postea o-  
stendit Angelos neutro modo esse corporeos. Non priori;  
quia res, inquit, totaliter & quoad utramq; partem corpo-  
rea, est valde imperfecta: nam in suo esse & operari nullo  
modo se jungitur à materiâ, nec dominatur illi. At verò Intel-  
ligentiæ ponuntur in universo, in supremo gradu & ordine  
rerum. Non posteriori; quia Angeli in eo sunt creaturarum  
gradu, qui in modo essendi DEO est similimus. Talis autem  
gradus nullam habet in se quantitatis molem aut extensionem.  
Hinc nos argumentamur: *Quicquid non participat forma-  
lem effectum quantitatis, illud non est quantum, & conse-  
quenter, neq; materiatum.* Atqui Angeli non participant ef-  
fectum formalem quantitatis. Ergò. Major patet; quia  
quicquid ad rationem quantitatis immediate sequitur, eo sub-  
lato ipsa quoq; quantitas auferitur. Ubi autem nulla quanti-

tas, ibi nulla materia, hujus autem illa individuus comes est. Non solum enim in hac ceu subjecto inhesionis recipitur, sed effectivè etiam ab illâ dimanat, estq; proprietas aliqua Composito ratione materiæ debita. Minor itidem patet. Quod enim duæ res ita sint affectæ ut aptitudinem habeant sese ex eodem loco expeliendi, vel ut necessariò extendanrur, & loco separentur, quod itidem divisibiles sint, id provenit formaliter à quantitate. Horum autem nullum in Angelis invenitur. Hi enim uti indivisibiles, ita toti etiam, ubicunq; sunt, multiq; in uno π&g; penetrativè esse possunt. Hinc integra legio in uno homine fuisse legitur, Luc. 8, 3. Manet itaq; conclusio.

IV. Utut autem (uti Decisione I. dictum) è Scripturâ, certum su dari Angelos; ratio tamen nostrâ sibi relicta ascendere eò haec tenus non potuit, ut documenta attulisset in medium, irrefragabiliter existentiam eorum demonstrantia. Quanquam enim extrema tentet ipse Thomas, existentiam Angelorum è naturâ demonstraturus, nihil tamen proficit. Nulla enim adducta ab illo ratio est, quin è ratione iterum refelli possit. Nos assertionem nostram hunc in modum probamus: Si existentia Angelorum demonstrabilis è naturâ est, vel demonstrabilis erit ex quidditate & essentiâ, vel ex aliquibus efficiëtibus. Atqui neutro modo fieri id ipsum potest. Non ex quidditate & essentiâ, quia creaturis secundùm se & essentialiter conceptis indifferenter convenit existere, esse actu & esse in potentia. Hinc eruditè Dn. D. Scharff. Theor. Trans. disp. 9. thes. 5. hac de re discurrit: Quando descendo vel expressius concipio Entitatem, tūm deprehendo quoddam Ens, nempe creatum non implicare essentialiter actualitatem essendi, sed potius essentialiter esse Ens potentiale, ita ut intrinsecâ suâ naturâ importet potentiam ad esse & non esse. Adeò ut existentia ipsi accidentaliter conveniat. Et rectissimè. Cūm autem creature liberè à Deo fuerint conditæ ita ut potuissent etiam non condipat hinc, existentiam in intrinsecâ illarum ratione non implicari. Placet Robertum quoq; Baronium hac de re consuluisse.



suluisse. Ille enim in Philosophiâ Theologiæ ancillanti art. 2.  
pag. 15. Neq; necesse, inquit, est, existentiam Cteaturæ esse  
de ejus essentiâ. Neq; possibile. Non est necesse, quia essen-  
tia Creaturæ non est infinitæ perfectionis. Non est possibile,  
quia quicquid est de essentiâ rei, illud necessariò rei compe-  
tit, ejusq; affirmatio de eâ re est necessaria & æternæ veritatis.  
At existentia ita se non habet in creaturis. Non enim verè  
dico : necesse est rosam existere ; quia potest non existere.  
At verè dico: necesse est rosam esse florem. Unde patet hanc  
prædicationem esse essentialiem, non verò illam. Hinc factum  
sine dubio est, quod aliqui existentiam & essentiam in rebus  
creatis ex naturâ rei distingvi dixerint. Quæ sententia æsti-  
matur esse Thomæ & omnium ferè Thomistarum, Capreoli,  
item Cajetani, Ferrariensis, Soncinatis, Javelli &c. Argu-  
mentantur enim: Prædicata essentialia convenientia creaturæ  
absq; interventu Causæ Efficientis : propter hoc enim ab æ-  
terno fuit verum dicere, hominem esse animal. Sed existen-  
tia non convenit Creaturæ, nisi per causam Efficientem, &  
ideò non potest creatura dici actu esse, nisi facta sit. Ergò  
Existentia creaturæ est res distincta ab essentiâ ejus &c. At  
distingendum h̄c est inter conceptum formatum; & inter  
rem conceptui respondentem. De priori conceditur Ma-  
jor, de posteriori negatur. Cùm neq; essentia Creaturæ se-  
ipsam actuet, sed virtute causæ Efficientis è nihilo producitur  
in actu. Aliud ergò est considerare creaturam præcisivè &  
in statu ideali, formalí; & aliud considerare eandem con-  
cretivè & in statu fundamentali, in quantum à parte rei existit.  
Priori modo involvit existentiam contingentem : posteriori  
necessariam. Omne enim quod est, eo ipso quo est necesse  
est esse. In quo casu existentia non ex naturâ rei sed per ra-  
tionem formaliter ab essentiâ distinguitur, in quantum nempè  
essentia concipitur per modum subjecti, existentia verò per  
modum actus. Patet itaq; ex dictis, existentiam Angelorum  
ex essentiâ non posse infallibiliter probari. Sola enim essentia  
Divina ita est ut non possit non esse simpliciter. Quod enim

esse suum habet à se, illud neq; seipsum eodem potest privare, neq; privari potest ab alio, cùm non ab alio dependeat. *Non ex effectibus.* Nam intelligi posset concursus ipsius Dei solus, aut etiam aliarum causarum sufficere, ad quemlibet effectum Angelicum. Vid. Greg. de Val. Tom. I. Com. Theol. disp. 4. qv. I. punct. I. col. 162. Adr. Heerb. Phil. Mel. Phil. volum. I. disp. 12. thes. 5. ubi argumenta quoq; à Scheiblero lib. 2. Met. cap. art. 2. num. 5. adducta refutat. His omnibus accedit summorum Theologorum nostrorum autoritas, qui suam hac de re sententiam haud obscurè professi sunt. Vid. itaq; B. Meisn. Sobr. Phil. part. I. Sect. 4. cap. 8. qv. I. pag. 58. *Qui*, parum, inquit, de Angelis cognoscit ratio ex suis principiis, illudq; tantum obscurè & dubitanter. Sola Scriptura Sacra, de eorum existentiâ nos certificat, & ipsorum naturam pro modo captûs nostri manifestat. B. Gerhard. qui apodicticas de Angelorum Existentiâ rationes, ex solâ Scripturâ produci posse asseverat in Isag. loc. Theol. disp. 2. cap. 2. n. 4. pag. 498. Dn. D. Hülsemannus, qui in Supplemento breviari: idicit. dari intelligentias ex Divinâ revelatione creditur. Dn. D. Dannhavver. in Hodosophiâ pag. 200. & 201. qui & argumen- ta ibidem ab obsecris sumta solidissimè refutat. Quamvis enim sàpè actiones stupendæ in obsecris sese exserant, an tamen il- lorum existentia inde ad Evidentiam, quam quæstio nostra urget nobis innotescat, ambigitur valdè. Quid etiam opus est, ut in hac existentiâ naturâ demonstrandâ nostram pro- fundamus operam. Relinquenda Scripturæ majestas ista est, quæ in abditas rerum naturâ incognitarum partes nos manu quasi dicit.

Subjicienda breviter est Argumentorum con-  
futatio, quia tamen solâ *naturâ* in disputationibus  
conficiendis contenti sumus, eandem ipsi conflictui  
reservamus. Pedem itaq; figo, &

oMniPotentI Ingentes Cano LaVDes.

**S**i juvat optati pernoscere pectus Amici,  
Si quocum dulcis consociandus Amor:  
Annon aligerum sacratae, insigne, cohortis,  
Scrutamen poscit, turba Venusta sibi?  
Ha sunt Divina Mentes, sunt agmina pura,  
Quae nos una dies junget, & unus Amor.  
Optime GREL NERTI, dum talia pectore docto  
Evolvis, genium prodis in orbe Tuus.  
Est genius Tibi, Divinam qui non nisi Mentem  
Spirat, & Ingenio subjugat omne suo.  
Ardua pertentas: ast que sunt ardua, summam  
Deposunt Laudem: Semen honoris onus.

Gratulab.  
Amico & Populari  
suo dilectiss.

### P R A E S E S.

**E**ncomiis insignibus condigna res,  
Ad summa nitier, sequi nec velle vulgus.  
**G**REL NERTIUS fervore motus ingenii,  
Obscura nequaquam facit tentamina,  
Ausibus enim Pnevmata sagax felicibus  
Agreditur, Angelisq; naturam docet.  
Secundet haec omnia Deus, nec irritos  
Esse sinat hos unquam labores, ad precor.

*Paucula istae sincerus expressit Amor,  
quo, in Doctissimum D. Respondentem Amicum suum longè di-  
lectum, fertur*

Isaacus Zabanius, Brodsano-  
Ungarus.

*Rih*

**V**illa non curat mens gnava sed ardua quæ  
Miratur, solers astra polumq; petit.  
**I**ngenii, bone GRELNERTI, sic prodis acumen,  
Abstrusum quando tam benè pandis opus.  
**P**erge viam cœptam, generoso Pneumata nisu  
Explana, cœlo digna brabea feres.

Eximio, Præstantissimo atq; Doctissimo  
Dn. Affini & Populari suo *autographo*  
diaðwv apposuit

Matthias Stürzer / Neosolio-  
Hungarus.

---

**V**Anum vix ventum, verum vult vendere Virtus,  
Unaq; de veri vertice vera videt.  
Angelus undē venit vincendus, vincere verē  
Virtutis veniā, Vir, Tua vena valet.  
Vis vi Virtutis victrice virere? vires Vir:  
Vir virtute virens vive vidente Viris!

DVLClssIMI Amici Dn. Resp. conatibus  
acclamat gratulabundus

Johannes Moldner, Neosolio-  
Hungarus.

F I N I S.

—CHIUSI, quia di L'ESPRESSO  
—BORGIALI

၁၃၇၅ ခုနှစ်၊ မြန်မာနိုင်ငြာ၊ ရန်ကုန်မြို့၊ မြန်မာနိုင်ငြာ၊  
၁၃၇၆ ခုနှစ်၊ မြန်မာနိုင်ငြာ၊ ရန်ကုန်မြို့၊ မြန်မာနိုင်ငြာ၊


धृतिर्विद्या त्रिप्यम् विद्यां विद्या विद्या  
विद्या विद्या विद्या विद्या विद्या विद्या

卷之三

କାଳି । ଶେଷକାଳିରେ ଏହାରୁ କାଳିରୁ କାଳିରୁ  
କାଳିରୁ । କାଳିରୁ କାଳିରୁ । କାଳିରୁ ।


ପାତ୍ର କରିବାର ପାଇଁ  
କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା  
କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା

卷之三




Umg. VI 75

ULB Halle  
005 364 639



3

V077



**Farbkarte #13**



AJ

h. m. 2036

I. N. J.  
TRACTATIO PHILOSOPHICA,  
*Quæstionis:*  
**An Existentia An-**  
**gelorum , præcisa infallibili**  
Sacrae Scripturæ autoritate, è Solo lumine  
Naturæ, evidenter demonstrari  
posse?  
*In Alma LEUCOREA,*  
PRÆSIDE  
PRÆ-EXIMIO juxta ac CLARISS. VIRO  
**Dn. M. JOHANNE BAYERO,**  
Eperiensi Hungaro, Facultatis Philosophicæ  
Adjuncto dignissimo,  
*Dn. Fautore ac Promotore suo plurimum observando,*  
*ab*  
AUCTORE & RESPONDENTE  
**TIMOTHEO GRELNERTIO,**  
Montano-Vallenſi Hungaro,  
publicæ ventilationi exposita  
Die 13. Novembris, Anno M DC LVIII.  
In Auditorio Majori, Horis antemeridianis.

Typis MICHAELIS Wendl.